

nis & o lib. 2. de jure Majest. cap. 3. sect. 10. scintilla divine mentis post la-  
psum in mentibus hominum relata, qvā inter honesta & turpia distin-  
gimur.) E. seqvitur, qvod omnes homines debeant observare illud  
jus; Si omnes homines, E. & Principes.

XXXI. Idem nobis de Jure Gentium esto judicium, cui  
Princeps cēu superiori parere debet.

XXXII. Inde seqvitur, Principem jure pacta non rumpe-  
re. Probamus id 1.) qvia in Contractibus jure privatorum utitur, &  
(asserente Petr. Greg. Tholos. Lib. 7. c. 20. f. 47.) habetur pro priva-  
to, siqvidem se submittit juris Communi dispositioni, seqvendo for-  
mam à jure Civili vel Gentium præscriptam. Jam v. Privatos pactis  
conventis, ex dictamine ipsius Juris Naturæ, stare oportet. E. Prin-  
ceps pacta servare debet. 2.) Qvia in pactis est mutua obligatio, à qvâ  
discedi sine mutuo consensu non potest, vid. Bodin. l.c. seqvitur, qvod  
Princeps pactum non possit rescindere, nisi mutuo consensu, & ab al-  
tera qvoq; parte sublata obligatione. Et hac obligatione nec pleni-  
tudo potestatis, nec ulla urgens clausula eum eximit, fatentibus Poli-  
ticis & JCtis, qvos adducit Reinking. Lib. 1. cl. 3. c. 12. n. 16. 3.) Proba-  
mus à simili. DEUS ultrò suis pactis se submittit, Jerem: 45. &  
exemplum vult Principibus esse, qvod semper oculis perlustrare, &  
in regulam vitæ usurpare debent.

XXXIV. Aliter se res habet cum legibus merè Civilibus &  
positivis. Nam ab his soluta est Majestas; tanquam superior. Hinc  
potest illas dispensare & reformare, imò planè tollere.

2.) *Divisio.* XXXV. Tametsi verò Majestas variis modis dividitur, v.gr.  
in plenam, & minus plenam; & utraq; vel ut totum qvāsi integrale in  
partes qvāsi integrantes, vel rectius ut totum potestativum, in diver-  
sas potestates aut facultates, qvæ sunt Regalia, subdividitur, &c. Ego  
tamen, missis his distinctionibus omnibus, agam speciatim de sola  
Reali & Personali; cùm nulla alia divisio magis obnoxia sit abusui,  
adeoq; ab eo omnino liberari petat. Rectè enim Bæclerus Inst. Pol.  
L. 2. cap. 1. p. 94. Qvam distinctionem, qvi satis explicaverit, vix unus;  
qvi male usurpaverint & adhibuerint, plurimi reperiuntur. Tollatur  
itaq; abusus, & maneat usus!

## CAPUT